



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

280. Quando quis censeatur ita privatus voce activâ, ut revera invalidè eligat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Turkelin, *de particulis latina orationis c. 5. n. 5.*) ut sensus sit: prater irregularitatem incurrit dictas pœnas Adeoque privatio vocis non sit ex vi irregularitatis, sed sit adjuncta pœna, quæ in solis illis duobus casibus, nempe celebrationis in loco interdicto, & infamationis vel condemnationis de homicidio locum habet ex *constit. Pii 5. & Pii 2. Pass. num. 105.* Porro dato, quod irregulares nequeant validè eligere, id intelligendum solum esset de denunciatis non toleratis; & tunc de toleratis loquendum iterum proportionatè ad dicta de excommunicatis toleratis. Donat, & Festus apud Pass. n. 107.

Quaestio 279. Num infamis eligat validè?

1. **R**espondeo negativè de eo, qui est infamis infamiam juris, seu de jure. Suar. *de cens. d. 48. s. 3. n. 2. Pass. loc. cit. n. 144.* Infamibus enim actus legitimi (qualis est eligere *c. soler. de sent. Excom. in 6. gl. ibi. Tholos. de elect. c. 16. n. 10.*) sunt prohibiti, *l. actus ff. de reg. juris. gl. in c. ut circa. b. t. in 6.* Verùm hoc ipsum intelligendum tantùm de infami sententiatò seu declarato; nam qui commisit factum, pro quo ipso jure incurritur infamia, adhuc validè eligit, dum, nullo excipiente contra illum, admittitur ad electionem. Pass. n. 145. citans Donat. p. 5. r. 5. q. 20. n. 4. vide etiam Azor. p. 1. l. 8. c. 13. q. 8. Sanch. in sum. l. 2. c. 26. n. 1. Bursat. l. 1. *consil. 14. num. 18.* & alios, docentes non incurri infamiam ante sententiam judicis. Dum autem contra eum excipitur, dicendum idem quod dictum in hoc casu de excommunicato tolerato. Porro hic notandum, quod infamia juris Ecclesiastici sit amplior, quàm juris civilis; cum omnis infamia, quæ in pœnam statuitur jure civili, eo ipso, quod non sit reprobata à jure canonico, sit etiam infamia juris canonici; & insuper ab eo pro pluribus seu aliis adhuc delictis statuitur hæc pœna. Pass. n. 141.

2. Respondeo secundò, affirmativè de eo, qui infamis est infamiam facti, id est, ortà ex eo, quod homines malè loquendo de aliquo, infamem opinionem generent de eo. Suar. Simanca, & alii, quos citat & sequitur Pass. n. 142. cum enim hæc infamia signatur sapissimè ex ignorantia, imprudentia, dicitate & odio, si inhabilitaret ad actus, status reip. ex vulgi penderet existimatione.

Quaestio 280. Veluti pro complemento jam dictorum, & universaliter, quando quis censetur ita privatus voce activà, ut revera invalidè eligat?

1. **R**espondeo primò: si est per sententiam privatus voce; hoc ipso enim jam juridicè, & legitime spoliatus jure eligendi, ita etiam, ut si exire nollit è capitulo, vi sit expellendus, si fieri potest absque scandalo, licet ista expulsio non tam foret illatio violentiæ, quàm defensio possessionis, quam talis perturbat, interesse volendo electioni. *c. si verò. de sent. excom. Peyr. in subd. q. 1. c. 31. §. 8. Abb. in c. cum Vintoniensis. h. t. Castell. in addit. ad c. 5. n. 78. apud Pass. cit. c. 10. n. 127.*

2. Nisi tamen sententiatus legitime & debito tempore appellaverit; appellatio enim suspendit sententiam & effectum. *c. cum venientes. de jurejurando. Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 11. n. 6. Pass. num. 128.* Nec obstat, quod appellatio non suspendat sententiam suspensionis, & interdicti, cum nec hoc universaliter verum sit, nec privatio vocis sit propriè suspensio. Navar. l. 1. *consil. 8. de elect. apud Pass. loc. cit.* Item

nisi fortè sit toleratus, hoc est, non sit sententiatus in particulari privatus voce; talis enim si nullo reclamante eligat, eligit validè. *arg. cit. Extray. ad videndam. utpote quæ loquitur nõ solum de censuris, sed de quacunquè sententia generaliter promulgata, & indulget, ut prætenu cujuscuque hu jusmodi sententia nemo deinceps teneatur à communione altitujus abstinere in quibuscuque divinis intus & extra. Suar. l. 5. de LL. c. 9. n. 5. Bonac. de LL. d. 1. q. 1. p. 7. n. 12. Pass. n. 129.* Adeoque etiam privatus voce activà ipso jure ante sententiam (sufficit autem in isto casu sententia declaratoria delicti seu facti. Pass. n. 136) eliger validè. Sanch. l. 9. *de marrimon. d. 30. n. 2. Dian. p. 1. r. 10. resol. 24. Molin. to. 1. de justit. s. 2. d. 96. Pass. num. 129.* Unde nec talis poterit vi ejici ab electione, cum non sit vià facti sine ope judicis privandus quasi possessione suffragii Innoc. *ad c. cum Vintoniensis. n. 6. Felin. Jo. And. Castell. de elect. c. 5. n. 1.* quos citat & sequitur Pass. num. 120. contra Abb. in *c. cum Vintoniensis.*

3. Intelligenda hæc quoque sunt, & tenenda, etiam si crimen, cui statuta est privatio vocis activæ lata sententiæ, sit notorium ex propria confessione delinquentis, etiam facta coram testibus; ita ut de ea constare possit in judicio (nisi fortè facta esset in Capitulo coram Superiore seu Præside & Capitularibus (quamvis & tunc, non tam ob solam notorietatem criminis, quàm quia tunc Præsides ipse declarare eum potest privatum voce, excluditur à ferendo suffragio) cum reus etiam contra propriam confessionem possit delictum aliquà tergiversatione celare, & contra confessionem excipere. Pass. n. 138.

4. Porro in casu, dum aliquis contra talem reclamavit ante electionem, dicendum est idem, quod supra de censuratis non denunciatis nominatim. Nimirum quod dum confirmatori constat de veritate oppositi criminis, electio declaranda sit ipso jure nulla, si electus virtute suffragii istius evasit electus, & c. Vide Pass. n. 131. Quod si tamen etiam ante electionem opponitur privatio vocis non lata sententiæ, sed ferendæ, oppositio nulla est; cum enim non teneatur quis ante latam sententiam subire pœnam, adeoque privatio vocis sententiæ ferendæ vim nullam habeat, sed neque vim ullam habeat, ut retroharur ad diem commissi criminis; quia hoc est proprium sententiæ latae; talis eligit validè Pass. n. 133. citans Sylv. v. *electio. Abb. in c. cum Vinton. n. 13.*

PARAGRAPHVS IV.

De pœnis eligentium illegitimè, vel indignum.

Quaestio 281. Quenam sit pœna eligentium illegitimè, hoc est, non servato modo, vel forma eligendi præscriptà à Canonibus?

Respondeo privantur pro ea vice potestate eligendi; non quidem ipso jure, sed per sententiam à Superiore ferendam. *c. quia propter. h. t. & ibi gl. communiter recepta v. priventur. & Laym. n. 14. & c. quamquam. h. t. in 6.* Unde si hi electores elegerunt de novo, antequam per sententiam privarentur, votum eorum foret validum, & electio subsisteret. Pirh. n. 41. citans Abb.

Qua